13
34-6-E-7. 72

FVNDAMENTVM REIPVBLICAE IVSTITIA SIVE DE S. IVONE PAVPERVM PATRONO ORATIO

Habita in eiuſdem Templo
AD EMINENTISSIMOS
S. R. E. CARDINALES

A CAROLO ANTÆO VERNINO ZAGAROLENSI
Sem. Rom. Clerico.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



13

ROMAE, Typis Ignatij de Lazaris. M.DC.LX.
Superiorum Permiſſu.

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO DOMINO

D. NICOLAO LVDOVISIO

Dei Gratia Principi Plumbini, & Venuſiæ, Duci Zagaroli, Hiſpaniarum Primati, Equiti inſigni ordinis aurei velleris, Proregi, & Capitaneo Generali Regni Aragoniæ &c.

Carolus Antaus Verninus F.

ET ſumma tui animi, EXCELL. PRINCEPS, erga omnes magnitudo, & ſingulare obſequium, quod iure ſeruitutis, vti ſubditus, & officio voluntatis, vti cliens, EXCELLENTIÆ TVÆ debeo, poſtulabant, vt perenni monumẽto tuum nomen conſignarem, ſed cum hoc ſit ſupra vires meas, ſtatui eorum cõſuetudinem ſequi Populorum, qui minimo quopiam tributo per-

Digitized by Google

ſoluto, ſuam omnibus partibus integram ſeruitutem conteſtantur: Vel illos imitari, qui terrarum orbem in breui tabula repræſentant. Itaque audeo EXCELLENTIÆ TVÆ offerre hanc breuem orationem coram Purpuratorum Patrum Senatu a me dictam, vti pignus meæ voluntatis ex toto tibi ſeruientis, vel etiam vti lineamentum magnæ tuæ animæ Rempublicam ſuſtentantis tanta cum dignitate, vt cum iam fama tui nominis Italiam compleueris, euoceris ad Hiſpanias tuæ magnitudine virtutis illuſtrandas: vt vere Heſperus, ſeu potius Phoſphorus dici poſſis; hoc eſt lucens vice Solis;

ORATIO.

LABORANTEM in lubrico mortalitatis Rempublicam, nihil æquè ſuſtentat, ac firmat, quam Iuſtitia, quæ veluti æmula diuinitatis, non modò Principes, & Ciues continet in officio, ſed etiam Elementa in obſequio. Itaque meritò illam dixerim eiuſdem Reipublicæ fundamentum, quo ſtante nihil nutat, quamuis obluctetur, ſiue ardor Principum praua imperantium, ſiue vecordia Ciuium deteriora ſequentium, ſiue etiam impetus Elementorum generi humano inſultantium, fatalem patiendi neceſſitatem falsò culpante tolerantia. Quod ſane animaduertere hodierna Panegyri libet in rebus geſtis viri ſanctiſſimi IVONIS; quem nunquam prodigia deſeruere, quia ſemper eum pede non claudo Iuſtitia comitata fuit, adeò, vt adfirmare liceat, Iuſtum, & tenacem propoſiti virum non modo non pauere ruinas, & fragmenta illabentis orbis; ſed efficere, ne ruinæ feriant, neu fractus illabatur orbis, illumque viuere in Orbe quaſi orbis propugnaculum aduerſus tentamenta, ſiu potentiæ, ſeu diſcordiæ, ſeu naturæ; quarum tergeminus ex maligno conatus, tanquam triplex Parcarum nodus vel potius tanquam triſulcum infœlicitatis telum humanam rerum vniuerſitatem affligit, & obruit.

Primum igitur Iuſtitiæ munus eſt comprimere Dominantium cupiditatem, a qua etiam oritur primaria, & ſumma Reipublicæ ruina. Id egregie præſtitit IVO, nullo, aut ſui periculo, aut Regum metu labefactatus. Aduenerant ad

Vr-

Vrbem Trecorenſem potentiſsimi Regis adminiſtri, vt Eccleſiæ opes ad rerum prophanarum, ſeu præſidia, ſeu ſubſidia conferrent. Decretoria obnuntiatione mandatum promulgant, & exequuntur: Trepidare Vrbs, Epiſcopus dolere, reliqui omnes ingemiſcere, & iraſci; nemo tamen audere, nemo obſiſtere. Solus IVO Iuſtitiam pro thorace induens tementium impetum diſiecit, & accedens ad Sacrarium, diuinaquadam vocis, manuumque vi, non modò illorum rapientium audaciam, ne alia raperent, compreſsit, ſed ea, quæ rapuerant recuperauit; docuitque nos aduerſum ſtygios athletas victrici pugna contendere, dum pro Chriſti familia, illis Chriſtianum, & pium pectus, Iuſtitia, pluſquam ferro armatum opponimus.

Altera verò Iuſtitiæ cura eſt; diſcordias, iurgia, prælia animorum inter Cues componere, ſedare, tollere: conſtat enim continuatò mortalium experimento Reſpublicas, Vrbes, Prouincias, parteſque omnes terrarum hoc morbo afflictas, in ſupremum tandem fortunarum diſcrimen adductas, ad ruinam præcipitaſſe; quemadmodum enim ædificatio, quæſeparatis, diſiunctiſq; lapidibus continetur, facille conuellitur; ita & communio, ſocietasq. Ciuium breui diſſoluitur, ſi careat pace, atq;concordia, quæ ſola vinculum eſt animorum; Cum autem fere pari gradu incedant Iuſtitia, & Pax; nec fieri poſſit vt ſtet pacis moles nutante Iuſtitia, ad hanc perinet pacem tueri, ac firmare. Tu ò iuſtiſſime IVO, quam ingenioſe, quam perite, quam accurate id perfeciſti. An non hæc vna erat tui pectoris ambitio ſimul, & contentio, vt diſcordes animorum fluctus vbique, vel exundantes, vel minantes increpares, ac reprimeres? O felices Vrbes, in quibus hæc IVONIS ars deſudabat; non orphanos, non pupil-

pil-

pillos ? non viduas erat intueri, quæ abiecta ſuarum rerum fata lamentarentur: Pauperum tabernæ non inuidebant Patritiorum turribus; eadem vita ſortiebatur inſignes,& imos; & amoris eadem vrna mouebat omnium nomina, tam illuſtria, quam obſcura;eratq. omnium cor, & anima vna, quia omnibus erat pro corde, & anima IVONIS Iuſtitia, quæ cuique ſu um ius aſſignabat, & ſuam fœlicitatem.

Tertia deniq; Iuſtitiæ laus eſt Elementa continere in obſequio: quæ reuera laus ſupra naturam, ſupra conditionem humanitatis, prodigioſam eiuſdem virtutis potentiam repræſentat. Etenim ſi bene perpendimus neſcio quid diuinitatis habet ille animus,qui totus ad diuinitatis normam conformatur; adeoq; habere, & poteſt, & quodammodo debet neſcio quid omnipotentiæ, quidquid nempe diuinum, etiam omnipotens exiſtit. Et e contrario maximum Reipublicæ periculum imminet ex elementorum tumultu, & certamine. Quantum miſeræ calamitatis, & damnoſæ iacturæ proficiſcitur ex aeris iniquis impræſsionibus, ex aquarum repentinis tempeſtatibus, ex ignis vehementiſſimis agitationibus ex telluris ſterili, anguſtaq. conditione? Vt ſane videatur interdum Reſpublica ex ſola Elementorum gratia pendere; adeoque par fuit, vt hanc prodigioſam potentiæ virgulam Iuſtitia pro arbitrio publicæ ſalutis manu verſaret. Quid mirum ergo, ſi cum IVO tantum Iuſtitiæ tribueret, tantum quoq; poteſtatis exerceret in elementa. Incendium flammarum erumpentium, omniaque vaſtantium, ſolo nutu compreſſit: Aquarum inundantium furias, oſtenſo crucis ſigno retardauit: exciſa, & areſcentia telluris germina opulento virori reſtituit: Tempeſtates denique ac tormenta tonantis aeris exarmauit, vt ſuis circumſcripta finibus natura nullius

ius,

Digitized by Google

ius, & poſſeſsionem violaret; atque hac ratione mortales æquo, pacatoque animo ad fælicitatis culmen iacto Iuſtitiæ fundamento peruenirent.

Ex hiſce rebus a ſanctiſsimo IVONE geſtis, facile eſt cognoſcere, quam vere ſit a me dictum Iuſtitia Rempublicam conniti. Neque id vlli mirum accidere debet, ſiquidem Iuſtus vir ſuapte indole eo fertur, vt non aliena ad ſeſe traducat, ſed ſua in alios conferat, gnarus non per lucra, ſed per benefacta virtutem graſſari ad fælicitatem. Quapropter fortunatum IVO te appellauerim, quod ſordidi lucri neſcius intaminatis, hoc eſt nulla auaritiæ labe aſperſis fulſeris honoribus; Alijs menſam, tibi ieiunium appaſti; penates tui fuere alijs inſtrumenta, tibi cruciamenta commoditatis; Alienam cauſam propugnaſti; tuam perdidiſti? Perdidiſti? Nequaquam, immo aſſeruiſti. Etenim Pater ille cæleſtis, qui in abſcondito videt atq; obſeruat opera mortalium, ampliſsimam operi tuo mercedem retribuit, dum in hac romana gentium, terrarumque luce, te hoc nobiliſsimo Templo donauit, voluitque, vt ſingulis annis in auguſtiſſimo purpuratæ ſapientiæ conſeſſu tuum nomen anniuerſario triumpho recoleretur. Quin immo voluit, vt tuipſe, quamuis e comercio mortalium abreptus, tuam cauſam apud Clementem Sextum Pontificem ageres, dum illi iter facienti Dei mandata ſignificaſti, vt videlicet quamprimum ſolemni pompa inter Sanctorum nomina tuum referret; Quippe vir Iuſtus fueras. Tanti intereſt pugnare pro Iuſtitia, quæ non modo eſt publicæ, ſed etiam, vt videtis priuatæ rei fundamentum, propugnaculum, incrementum.

LAVS DEO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA V. EMANUELE

Digitized by Google